

Conf. §. quanto magis dicendum illud erit de iis, qui omnino mortui sunt in peccatis Col. II, 13. Eph. II, 1. & servi peccati Rom. VI, 20. hoc est, ita in malo obfirmati, ut habeant Cor pœnitere nescium. Rom II, 20. Cum præterea hi cognoscere Spiritualia ex solis Scripturæ verbis ea significantibus & repræsentantibus, iisque assentiri nullo modo possint, ut paulo ante dictum. Hinc Cyprianus lib. 3. ad Quirinum dixit: In nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit. Et Ambrosius lib. de Fuga Seculi. Non est in potestate nostra cor nostrum & nostre cogitationes. Et hoc respectu Solida declaratio in loco de libero arbitrio p. 661. hominem in conversione dicit esse instar statue Salis (in quam Uxor Patriarchæ Loth est conversa) imò similem esse trunco & lapidi, ac statue vita carenti, que neque oculorum, oris aut ullorum sensuum, cordisve usum habet.

§. XII. Nullas itaque vires abolendi peccata & producendi fidem habet homo sibi relictus, aut solis Scripturæ verbis res credendas nude exhibentibus & significantibus adjunctus, sed necesse est, ut à Deo solo eas omnes accipiat. Et hac de causa DEUS in Scriptura S. dicitur convertere homines, ut patet ex I. Reg. XVIII, 37. Ps. LI, 12. Jerem. XXXI, 18. Ezeeb. XXVI, 26. aliisque locis pluribus. Ipse dicitur dare intellectum, ut discamus ejus testimonia Ps. CXIX, 34. dare illuminatos oculos mentis Epbes. I, 18. & aperire oculos, ut convertantur homines à tenebris ad lucem Actor. XXVI, 18. dare cor novum. Ezeeb XI, 19. imò creare cor mundum Ps. LI, 12. dare velle & perficere Phil. II, 13. Hinc Salvator, hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille Job. VI, 29. & Paulus II. Cor. III, 5. Non quod sufficientes simus aliquid cogitare à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Quanquam autem toti Sanctissimæ Trinitati, tanquam uni indivisæ causæ, prout omnia alia opera Dei